



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

2 Quot modis perficiantur contractus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

hendat donationem & promissionem acceptatam, vt patet L. Contractus. 16. C. de fide Instrument. & alibi, vbi donatio vocatur contractus. & sic, Contractus est conuentio duorum, obligationem saltem in alterutro pariens. quo modo non distinguitur à Pacto, quod definitur esse duorum consensus atque conuentio: vt enim fiat pactum, necesse est vt duæ voluntates in idem conueniant reciproco consensu. Dico reciproco consensu: quia non sufficit vt quouis modo in idem conueniant; sed requiritur vt consensus suos in se mutuo dirigant. Vnde donatio & promissio, etiam si à duobus communi consensu fiant, antequam sint acceptata, & accedat consensus reciprocos eius in quem diriguntur, non habent rationem pacti: sed per acceptationem transeunt in pactum. Vide Gomezium tom. 2. c. 9. n. 2. & infra cap. 18. dubit. 6. n. 42. & sequentibus. Nos nomine contractus vtimur hic amplè, vt idem sit quod pactum, & comprehendat contractus gratuitos, qui sunt veluti semicontractus.

DUBITATIO II.

Quot modis perficiantur contractus.

6 **N**otandum est, Contractum dici dupliciter perfectum. Primum, Quando res, circa quam versatur, est tradita. sic emptio dicitur perfecta, quando res est tradita & pretium solutum. verum hæc perfectio non est intrinseca rationi contractus: sed sæpè est effectus contractum consequens, atque ad eum finis ob quem contractus fit. Nam contractus emptionis & venditionis est perfectus in ratione contractus ante traditionem rei: dicitur enim propriè res empta & vendita, simul atque inter emptorem & venditorem conuenit de pretio. Secundò, Quando ipse contractus habet omnia necessaria, que secundum suam speciem requirit, vt tale nomen mereatur; siue traditio rei ad hoc sit necessaria, siue non. de qua perfectione hic loquimur.

7 **R**esp. igitur, Contractum quadrupliciter perfici, nempe *re, scriptura, verbis, consensu*. Ita Siluester v. Contractus, n. 6. & colligitur Instit. de obligat. in fine. *Re* perficiuntur, qui non consistunt in conuentione sola, sed requirunt rei traditionem; vt depositum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus, donatio. non enim contractus hi censentur celebrati, nisi re tradita, vt ipsa nomina indicant, quibus significatur rei traditio. vnde ante traditionem, dum in solis verbis consistunt, dicuntur pacta nuda, quæ non patiunt obligationem ciuilem, nisi ex aliquo iuris privilegio.

8 **S**criptura perficiuntur, qui ante scripturam rati non habentur; vt *emphyteusis*, & omnis contractus, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario qui Instrumentum conficiat.

9 **V**erbis dicuntur perfici, qui requirunt certam verborum formulam: tales sunt omnes *stipulationes*. Hæc sunt formulæ quedam, quæ constant in interrogatione præuia vnius, & responsione subsequente alterius; v. g. Spondeo dare tantum? spondeo. Promittis 100? promitto. Dabis 1000. pro domo mea? dabo. Facies? faciam. Fidei iubes? fidei iubeo.

10 **S**imiles: infinitum est enim omnes stipulationum formulas persequi, teste Cicerone in Topicis: vide Instit. de verborum obligationibus. Hæc autem formulæ possunt adhiberi in omnibus con-

tractibus, eisque maiorem firmitatem in foro externo tribuunt. de quibus vide plurima apud Gomezium to. 2. c. 9. quæ quia solum ad forum externum pertinent, (in quo etiam paruum usum nunc habent) omitto.

Consensu perficiuntur, qui non requirunt certam verborum formam, sed sufficit consensus, quouis modo exterius vtrique explicatus, vt emptio, venditio, locatio, conductio.

DUBITATIO III.

Quomodo diuiditur contractus & pactum.

12 **R**espondeo, Multas assignari à DD. diuisiones, vt videre est apud Siluestrum verbo Contractus, & verbo Pactum. Primum Contractus diuidi potest in *explicitum & implicitum*; siue in *formalem & virtualem*. *Formalis* contractus est, cum expressè duo in idem conueniunt cum obligatione mutua, vel saltem alterius erga alterum, vt dub. 1. dictum est, & hic propriè dicitur contractus. *Virtualis* contractus est, cum solum implicitè conueniunt, absque vlla expressa pactione se obstringentes. Hunc vocant *quasi contractum*, vt tutela, & quoduis aliud officium, mandatum, & negotiorum gestio. qui enim aliquod officium suscipit, eo ipso se obligat erga alterum, & alter obligatur erga illum, iuxta leges vel consuetudinem receptam. similiter qui aliquid mandat, vel mandatum alterius suscipit; & qui negotium alterius gerit. in his enim non requiritur vlla conuentio expressa; sed hoc ipso quo ista suscipiuntur, vi legis vel consuetudinis, in quam omnes conferunt, tacita nascitur obligatio. & idè non vocantur propriè contractus, sed quasi contractus.

Secundò, Contractus diuiditur in *nominatum & innominatum*. Contractus *nominatus* est, qui habet speciale & proprium nomen quo ab aliis distinguatur; vt emptio, venditio, mutuum, locatio, societas, commodatum, pignus, depositum, & similes. *Innominatus* est, qui non habet nomen speciale, sed genericum tantum. Huius sunt quatuor species, *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias*. vt si Petro des panem pro vino, erit contractus *innominatus, do ut des*; non enim est emptio aut venditio; quia non datur pretium pro merce: nec est mutuum, quia non recipitur res eiusdem speciei post certum tempus: nec locatio aut conductio; quia non datur pretium pro usu vel opera: sed datur vna res pro alia; quarum neutra est pretium alterius: qui contractus proprium nomen non habet.

Dices, Est *permutatio*. Respondeo, Verum est, sed hoc nomen est generale, non specificum; conuenit enim emptioni & mutuo. vnde non constituit contractum nominatum. Simili modo, si Petro des panem, vestem, &c. vt pro te laboret, vel scribat, erit contractus *do ut facias*. si autem des pecuniam, erit conductio. Si scribas vel seruias alicui, vt det panem, vestem, libros; erit contractus *facio ut des*. si illi seruias vt te doceat; erit contractus *facio ut facias*.

14 **A**duertendum est, Etsi ex his contractibus innominatis oritur statim obligatio naturalis; non tamen oritur obligatio ciuilis, (id est, quæ Iure ciuili tribuat actionem in foro externo) nisi ex altera parte sit impletus, vel nisi vestiatur formula stipulationis.

Pactum.

Duplex perfectio contractus.

Perficiuntur quadrupliciter.

Pactum nudum.

Stipulationis.

Prima diuisio.

Secunda diuisio.

13 Contractus innominatus.

14 Obligatio naturalis ex contract. innominatis, non ciuili.